¶ Orationes sancte Brigide/cum Oratione sancti Augustini.

S BRIGIDA



❡Hec sunt Quindecim Collecte/siue Oratiões illius preclarissime virginis beate Brigide: quas ante imaginẽ domini nostri Iesu christi crucifixi indies deuotissime dicebat.

❡Prima oratio.

O Domine Iesu xp̃e eterna dulcedo te amantium: iubilus excedens omne gaudiũ/ & omne desiderium: salus & amator penitentiũ peccatorꝝ: qui delitias tuas attestatus es esse cum filiis hominum: propter hominẽ homo factus in fine temporum. Memẽto omnis premeditationis/ & intimi meroris: quem ab initio conceptionis tue in humana natura sustinuisti: maxime instante saluberrime passionis tue tẽpore/ in diuino corde ab eterno preordinato. Memento tristitie & amaritudinis: quam in anima tua (teipso attestante) habuisti/ quando dixisti: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Et quando in vltima Cena corpus & sanguinem tuum discipulis tuis tradidisti: pedes eorum lauasti: & dulciter eos consolando/ imminentẽ passionẽ tuã eis predixisti. Memento etiam tremoris angustie & doloris: quem in tuo delicato corpore ante passionẽ Crucis tue pertulisti/ qñ post trinam orationẽ sanguineũ sudasti sudorem: & a discipulo proprio tradebaris: ab

electa gente capiebaris:a falsis testibus accusabaris:a tribus Iudicibus iniuste iudicabaris: ī electa Ciuitate/in Paschali tempore/in florida corporis tui iuuentute innocenter damnabaris/ tradebaris conspuebaris/veste propria exuebaris / vestibus alienis induebaris colaphizabaris/oculis & facie velabaris/alaphis cedebaris/ad columnam ligabaris/flagellabaris/spinis coronabaris. O dulcissime Iesu da mihi queso ob memoriam harum penarum & passionum ante crucis tue passionē veram ante mortem meam cōtritionem: puram confessionem:dignam satisfactionem:& omniū peccatorum meorum remissionem Amen.

Aue dulcissime Iesu xp̄e miserere mihi pctōri. Pater noster. Aue maria. Et iste modus seruetur post quamlibet orationem.

¶ Secunda oratio.

O Iesu vera libertas Angelorum:& paradisus delitiarum : Memento terrorum & horrorum:quos sustinebas/quando omnes inimici tui tanq̄ Leones ferocissimi te circundederunt: & colaphizationibus/conspuitionibus:vngulationibus:ceterisq; inauditis suppliciis te molestauerunt. Per omnia cōtumeliosa verba : dura verbera:durissimaq; tormenta:quibus te omnes inimi

ci tui affixerunt: deprecor te vt liberes me ab omnibus inimicis meis visibilibus & inuisibilibus: & dones mihi sub vmbra alarum tuarum protectionem salutis eterne inuenire Amen. Aue dulcissime Iesu xpe. Pater noster. Aue maria.

¶ Tertia oratio.

O Iesu mundi fabricator & creator: quem nulla dimensio vero termino metitur: qui terrã palmo concludis. Recordare amarissimi doloris quem sustinebas/cũ sanctissimas manus tuas ad crucem obtusis clauis primo affixerunt: & ad perforandum delicatissimos pedes tuos dolorem super dolorem vulneribus tuis addiderunt: & ita crudeliter te distraxerunt/& extenderunt in longum & latũ Crucis tue: vt dissoluerentur omnes compagines membrorum tuorum. Precor te per huius sanctissimi & amarissimi in Cruce doloris memoriam: vt des mihi timorẽ & amorem tuũ Amen. Aue dulcissime Iesu christe. Pater noster. Aue maria.

¶ Quarta oratio.

O Iesu celestis Medice / recordare languoris & doloris/ atq; liuoris: quos in alto crucis patibulo leuatus passus es ĩ omnibus dilaceratis mẽbris tuis: quorũ nullum in suo statu recte per-

mansit/ita vt nullus dolor dolori tuo similis inue
niretur:quia a planta pedis vsq ad verticem capi
tis non fuit in te sanitas: & tunc dolorum omniũ
immemor / patrem pro inimicis pie exorasti di-
cens:Pater ignosce illis/quia nesciũt quid faciũt.
Per hanc charitatem & misericordiam:& ob me
moriam doloris concede:vt hec memoria ama-
rissime passionis tue sit omnium peccatorum meo-
rum plenaria remissio. Aue dulcissime Iesu xpe.
Pater noster. Aue maria.

¶Quinta oratio.

O Iesu speculum claritatis eterne/memento il
lius meroris:quẽ habuisti/qñ in speculo se-
renissime maiestatis tue cõspexisti predestinatio
nem electorum tuorum:p merita passionis tue saluan
dorum & reprobationẽ malorum in multitudine dã-
nãdorum:& p abyssum miserationis tue/qua nobis
pditis & desperatis pctõribus tũc condoluisti: &
pcipue quã Latroni ĩ cruce exhibuisti/dicẽs:Ho-
die mecũ eris in paradiso. Rogo te pie Iesu/vt fa
ciasq mecũ mĩam in hora mortis mee Amẽ. Aue
dulcissime Iesu xpe. Pr noster. Aue maria.

Sexta oratio.

O Iesu Rex amabilis/totusq desiderabilis:me
mento meroris:quem habuisti/quando nu-

dus & miserabilis in cruce pēdisti: & amici ac noti tui aduersus te steterunt: & nullum te cōsolantē inueniebas: nisi solam dilectam genitricē tuā/ in agone tibi fidelissime astantem: quā discipulo tuo cōmendasti dicens: Mulier ecce filius tuus. Et ad discipulum tuū: Ecce mater tua. Rogo te pie Iesu per gladium doloris: qui tunc eius animam pertransiuit: vt compatiaris mihi in omnibus tribulatiōis & afflictionibus meis corporalibus & spiritualibus: & da mihi consolationem in omni tēpore tribulationis mee Amen. Aue dulcissime Iesu xp̄e. Pater noster. Aue maria.

¶ Septima oratio.

O Iesu fons inexhauste pietatis: qui ex intimo dilectionis affectu in cruce dixisti: Sitio scilicet salutē humani generis. Accēde quesumus nostrum desideriū ad omne opus perfectū/ & sitim carnalis concupiscentie/ & estū mundane delectationis in nobis penitus refrigera & extingue Amē. Aue dulcissime. P̄r noster. Aue maria.

¶ Octaua oratio.

O Iesu dulcedo cordium: ingensq̧ suauitas mentium. Per amaritudinem aceti & fellis quā pro nobis sustinuisti in Cruce/ & degustasti: cōcede nobis miseris peccatoribus corpus & san

guinem tuū omni tempore: & precipue in hora mortis nostre digne percipere ad remediū & cōsolationem animarum nostrarū Amen. Aue dulcissime Iesu xpe. Pater noster. Aue maria.

¶Nona oratio.

O Iesu regalis virtus/iubilusq̄ mētalis: memēto angustie: quam passus es/quādo per mortis amaritudinē/& Iudeoꝝ insultationē/cum magna voce(a deo patre derelictus)clamasti dicēs Hely hely lamazabathani/quod est: Deus meus deus meus/vt quid me dereliquisti? Per hanc angustiam peto te: vt in angustiis mortis mee non derelinquas me dn̄e deus meus Amen. Aue dulcissime Iesu xp̄e. Pater noster. Aue maria.

¶Decima oratio.

O Iesu alpha & o/vnio & virtus ī omni medio Recordare q̄ a summo capitis vsq̄ ad plantam pedis te in aquam passionis ꝑ nobis dimersisti. Propter latitudinem & magnitudinē vulnerum tuorum/doce me veram charitatē custodiendi latum mandatum tuum nimis Amen. Aue dulcissime Iesu xp̄e. Pater noster. Aue maria.

¶Vndecima oratio.

O Iesu abyssus profundissime misericordie: Rogo te propter profunditatem vulnerum

tuoꝝ que transierunt carnem tuam/ & medullam ossiū/ ac intima viscerū tuoꝝ: vt me submersum in peccatis emergas: & abscondas in foraminibꝰ vulnerum tuoꝝ a facie ire tue/donec pertranseat foror tuus Amen. Aue dulcissime Iesu Christe. Pater noster. Aue maria.

¶ Duodecima oratio.

O Iesu veritatis speculum/ vnitas signū: & caritatis vinculum: memento mirabilium vulnerū tuoꝝ multitudinē: quibus a summo capitis vsq; ad ima pedum vulneratus fuisti: & ab impiis Iudeis laceratus: & sanctissimo sanguine tuo rubricatus: quā magnitudinem doloris in virginea carne tua pertulisti pro nobis pie Iesu. Quid vltra facere debuisti/quod non fecisti? Scribe queso omnia vulnera tua in corde meo/ꝓciosissimo sanguine tuo: vt in illis legam dolorē & amorē tuū vt eoꝝ memoria semꝑ apud secretū cordis mei remaneat: vt dolor passionis tue in me quottidie renouetur/ & amor augeatur: vsq; dum perueniā ad te desideratum thesaurum omniū bonorū & gaudioꝝ repletum: quod mihi donare digneris Christe dulcissime in vita Amen. Aue ducissime Iesu Christe. Pater noster. Aue maria.

¶ Tertiadecima oratio.

O Iesu leo fortissime/Rex immortalis & inui ctissime: memēto doloris/quē passus es/ cū omnes vires corporis tui penitus defecerunt: & inclinato capite dixisti: Consumatū est. Per hanc angustiam & dolorem misere mei in vltima con sumatione exitus mei/cū anima mea anxiata fue rit/& spiritus meus conturbabit̄ Amen. Aue dul cissime Iesu xp̄e. Pater noster. Aue maria.

¶ Decimaquarta oratio


O Iesu vnigenite altissimi patris/splēdor & fi gura substantie eius: memento obnixe com mendationis: qua patri spiritū tuum cōmendasti dicēs: Pater in manus tuas cōmendo spūm meū: & lacerato corpore/ruptoq̄ corde/cū valido cla more patefactis visceribus misericordie tue pro nobis redimendis expirasti. Per hanc preciosissi mam mortem tuā deprecor te Rex sanctorꝝ con forta me ad resistendū diabolo/ carni / & mundo mortuus/tibi soli viuā: & in nouissima hora exitꝰ mei suscipe ad te reuertentem spiritum meū exu lem & peregrinū Amē. Aue dulcissime Iesu xp̄e Pater noster. Aue maria.

¶ Quintadecima oratio.

O Iesu vitis vera & fecunda: memento super fluentes & habundantis effusionis sangui

nis tui:quem tu de corpore tuo/ſicut de botro ex
preſſo copioſe effudiſti:quando in cruce torcular
ſolus calcaſti:& per lanceā militarem perfoſſo la
tere nobis ſanguinem & aquam propinaſti:ita vt
minima gutta in te nō remaneret:tūc demū quaſi
faſciculus myrre in altum ſuſpenſus fuiſti:& deli
cata caro tua euanuit:& liquor viſcerum tuorum
exaruit:& medulla oſſium tuorum emarcuit. Per
hanc amariſſimā paſſionem tuā/ & pretioſiſſimi
ſanguinis tui effuſionē precor te dulciſſime Ieſu
vulnera cor meum:vt penitētie & amoris lachri-
me ſint mihi panes die ac nocte:& cōuerte me to
taliter ad te:vt cor meū fiat tibi perpetuo habita-
bile:& conuerſatio mea tibi placita & accepta ſit:
ac finis vite mee tibi laudabilis : vt poſt terminū
vite mee te laudare merear cum omnibus ſanctis
tuis ineternum Amen. Aue dulciſſime Ieſu xp̄e.
Pater noſter. Aue maria.

¶Finis.



¶ Sequitur Oratio eximii doctoris sancti Augustini.

O Dulcissime domine Iesu Christe verus deus: qui de sinu Patris omnipotentis missus es in mundum peccata relaxare: peccatores saluare: afflictos redimere: incarceratos



ſoluere:diſperſos congregare:peregrinos in ſuã patriam reducere:contritos corde mederi:dolentes conſolari. Dignare dñe Ieſu xp̃e abſoluere & liberare me famulum tuum. N. de afflictione & tribulatiõe in qua poſitus ſum. Et tu domine Ieſu xp̃e:qui genus humanum (inquantum homo) a deo patre omnipotẽte in cuſtodiam recepiſti: & ex pietate tua/crudeli paſſione nobis paradiſum precioſiſſimo ſanguine tuo mirabiliter mercatus es:& inter deum/homines/& angelos pacem feciſti & cõcordiam. Ita tu domine Ieſu chriſte digneris inter me & inimicos meos ſtabilire & cõfirma concordiam & pacem: & gratiã tuã ſuper me oſtendere/& infundere miſericordiã tuam & omne odium & iracundiã inimicoꝝ meoꝝ: quã contra me habent digneris extinguere & mitigare/ſicut mitigaſti & abſtuliſti iram & odiũ: quod habuit Eſau aduerſus Iacob fratrem ſuum. Ita domine Ieſu xp̃e digneris ſuper me famulum tuum N. extendere brachium miſericordie tue: & gratiam tuã oſtẽdere:& me liberare ab omnibus me odientibus/ſicut liberaſti Abraham de manibus Caldeoꝝ:& filiũ eius Iſaac de immolatione ſacrificii:& Iacob de manu Eſau fratris ſui:& Ioſeph de manibus fratrũ ſuoꝝ:& Noe ab aqua diluuii

per archam: Loth de Ciuitate Sodomorum: & famulos tuos Moysen & Aaron / & populum tuũ Israheliticum de manu Pharaonis/ & de seruitute Egypti. Similiter sicut liberasti Dauid Regem in monte Gelboe de manu Saulis/ & Golie gigantis: Susannam de falso crimine & testimonio: Iudith de manu Holofernis: Danielem de lacu leonum: Tres pueros Sydrach Misach & Abdenago de camino ignis ardentis: Ionam de ventre Ceti: & filiam Cananee/ que erat tormentata per diabolũ: & Adam de profundo puteo inferni cũ preciosissimo sanguine tuo: & Petrum de mari: & Paulum de vinculis. Ita me famulum tuũ. N. dulcissime domine Iesu xp̃e fili dei viui liberare digneris & succurre in adiutoriũ meũ: quia inimici sup me faciunt & facere volunt multa mala cõsilia. Ita dñe Iesu xp̃e euacuare digneris consilia eoꝝ/ sicut euacuasti consilium Achitofelis/ quem consiliatus est Absolon cõtra dauid Regem. Ita dñe Iesu christe me liberare digneris per sancta beneficia sua: scilicet per sanctã incarnationẽ tuã: per natiuitatem tuam: per famem & sitim: per frigus & calores: per labores & afflictiones: per sputa: per alapas: per flagella: per clauos: per lanceã: per spineã coronam: & per potationem fellis &

acerb:per feuissimã mortem Crucis: & per septẽ verba:que pendens in cruce dixisti deo patri omnipotenti: Pater ignosce illis/ quia nesciunt quid faciunt. Dixisti dñe Latroni in Cruce pendenti Amen dico tibi/ Hodie mecum eris in paradiso. Dixisti dñe Matri tue/ Mulier ecce filius tuus. Deinde Discipulo tuo/ Ecce mater tua. Dixisti dñe patri tuo/ Hely hely lamazabathani: quod est interpretatum/ Deus meus deus meus vt quid dereliquisti me: Dixisti dñe: Sitio: idest/ salutẽ aĩarum cupiendo. Dixisti dñe patri tuo: In manus tuas dñe cõmendo spũm meũ. Dixisti dñe: Consumatum est/ significans labores & dolores: quos pro nobis miseris peccatoribus suscepisti/ iam finire. Propter hec omnia deprecor te dñe: qtũs me indignum famulum tuum. N. semper dirigas & custodias ab hoste maligno: & ab omnibus ĩimicis meis: & ab omni periculo anime & corporis: hic in presenti: & postea in futuro: per descessionem tuam ad inferos: per tuam resurrectionẽ: per frequentationem discipulorum: & cõsolationẽ: per admirabilẽ ascensionẽ tuã: per spũssancti missionẽ per aduentum ad iudicium. Per ista: & per cũcta alia beneficia: de quibus tibi gratias ago & refero tuam pro cunctis beneficiis mihi peccatori spiri